

non fallat. Quem Deus monstret innoxium, liber exeat, ne modo innocens pereat et de manu vestra requirat Deus". Assensi sunt omnes. Venitur ad iudicium, candenti ferro veritas declaratur. Portamus illud, ego innoxius, noxius invenitur ille et inventam mihi sententiam suspendii accipit. Ego in domo sacerdotis dimissus quiesco, ille pependit in patibulo. Parentes ejus et cognati indigene audientes me adhuc ibi esse, vi rapuerunt, et suum deponentes, me sine iudice et iudicio in eodem loco appenderunt. Triduo sic pependi, et non erat, qui sepe- liret'.

Quod angelus Dei venit et sustentavit eam.

'Attamen humano cessante auxilio, affuit divinum, et angelus Dei bonus mihi missus in solatium. Hic in patibulo residens medium me complexus est, pedibus meis supponens suos, consolans me atque confortans et odore atque sapore totius suavitatis inebrians. Tum tertio die ad vesperam audio choros psallentium suavi cantilena et melodia dulcissima. Interrogat angelus attonitum me attentumque: si quid audiam? respondeo, me audire, sed non intelligere. Tum ille: "Quid sit, indicabo tibi. Agnes soror tua nunc obiit, et angeli gaudentes animam ejus deferunt in excelsum. Post tres annos et te similiter in suum assumant consortium".

Quod de patibulo demissa est.

'Interim dum ista colloquimur, pueri gregem e regione paverunt et de me sermocinando dixerunt: "Num aliquando circa patibulum istud tam secure, tam absque metu et horrore currimus, sicut modo facimus? Timuimus hic pascere gregem et cum nemo penderet. At cum puero isto diversari tam tutum, tam familiare est, haud aliter quam si viveret et nobiscum curreret. Eja!" inquit, "demittamus eum deorsum, ne ultra contumeliam patiatur hoc corpusculum". Sic pastores loquebantur ad invicem et venerunt festinantes, et quod dicunt hoc et faciunt. Decidunt torquem, ego decido, non graviter tamen, angelo supponente manum, ne colliderer. Fugiant pueri audaces prius, nunc exterriti, et angelus dixit mihi: "Ecce liberatus es, jam vade quo libet!" Respondeo ei, Veronam me tendere, sed nescire viam. "En", inquit, "Verona!" digito monstrans mihi civitatem vix uno stadio a me distantem. In territorio Augustano terre Theutonice suspensus fui, dejectus de patibulo continuo Verone fui. Ingredior urbem, exsequor legationem meam, et inde demum revertor ad patriam. Sic veni huc in gratiarum actione responsurus Deo, quia mundum et immaculatum custodivit ab hoc seculo. Finem modo vult facere laboribus meis, quia tempus jam expletum est triennii, et dies anniversarius